

Misi Dissertationes meas *Splachnum et Semina Muscorum*, non dubito quin in manus tuas venerint.

Vidisti procul dubio *Vianelli tractatum* de Polluce et Castore s. *de aquâ marinâ* noctu lucente ab insectis caussatâ ; Tu Lynceus posses solus nobis detegere characteres hujus insecti et genus, quod, ut facias, ex animo precor.

*Schieræ Dissertationes duæ Mediolan.* 1750. octavo, quorum altera *de sexu Plantarum*, altera *de Plantarum affectione ad perpendicularum* nuper in manus meas venit.

Hasselquist, discipulus meus, qui petiit Palæstinam varia curiosa ad me rescripsit Smirnâ et Chio, misit *Cornucopiæ* exsiccata specimina, ejusdem promisit semina ; nuper literas dedit Alexandriâ, hodie Cairo versabitur ; si redeat mihi multas ab eo promitto plantas.

Kalmius noster, qui in Virginiâ versatur, alter meus discipulus, redibit ad finem anni ; multa, ut scribit, collegit in Canadâ et Virginiâ, de quibus rescripsit ; misit semina novi generis dicti *Gallisoniæ*,\* a vestrate præfecto Canadæ, qui plurima ipsi officia præstitit ; sed semina non germinabant ; ex flosculo sicco incluso, intellexi plantam generis esse *Swertiæ* ; collegit enim Stellerus et Gmelinus eamdem omnino plantam in Sibirîâ ; refert planta Gentianam 3 Dalibardi ac ovum ovo, sed floris structura est Peloriæ, 5 corniculis caudatâ corollâ, adeoque vere singularis.

Pereunt apud nos *Equi* ex plantâ quam edunt siccam in fœnis et vocant rustici non modo plantam sed et morbum *stäkra* ; dudum intellexi *plantam* esse *Phellandrium*, sed miratus quî fieret, quod equi non perirent ubique, sed tantum in certis provinciis ; tandem mihi innotuit caussam mali equorum caussari ab insecto quod habitat intra caules *Phellandrii* et est *Curculio* primus Faunæ.†

In Hordeo apud nos sato, dum tritatur sæpe  $\frac{1}{3}$  a  $\frac{1}{2}$  pars dat grana tabida, lævia et inania ; nuper observavi hæc grana, licet integra, destructa esse a vermiculo muscæ minutissimæ, quod eorum substantiam interne erodit.‡

Quæso mittas mihi aliquot semina per DD. Aurivillium Bibliothec : nostr. ; ille ut nullus dubito, semina per tabellarium mox transmittet.

Coriariæ	Gundeliæ	Anrederæ
Bocconiæ	Morinæ	Sphæranti
Veratri	Coris	Boerhaviæ

\* Le Marquis de la Gallisonière.

† *Curculio Phellandrii*, L. — Consul. *Noxa Insectorum* in Amœn. Acad., Vol. III. p. 357.

‡ *Musca Hordei*, L. — Consul. Act. Stockh. 1750, p. 182, et Amœn. Acad., Vol. III. p. 354.